

scriptas? an idem scriptum & non scriptum est? Nostros credere, quod in scripturis fundamentum non habet, alterum est figmentum. Credimus Biblia esse verbum Dei, ex ipsa insita maiestate & redundante efficacia, ut credimus solem in cælo lucere, ex ipso sole testimonium mutuati: credimus duo tantum esse sacramenta, quia nullis aliis symbolis terrenis & visibilibus, quam aquæ & pani vinoque Deus adjunxit promissionem gratiæ justificantis & salvandis: diem dominicum Sabbatho successisse cum ipsis Pontificiis ex Apoc. I. probamus: Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere ex rationibus scripturæ insitis probavit integro libro B. Dn. D. Dannhavverus: Nec docemus quicquam contra scripturam, ut patet ex objectionibus, quas in præced. solvimus. Ad 9. Magna nomina ad Papismum relabi non movet nos, qui scimus, etiam in V. T. ipsos Israëlitarum, postea & Judæorum, Reges, Pontifices, Prophetas; Et in N. T. ipsum Constantinum M. Constantium, Julianum, Valentem &c. Episcopos item, & Doctores Ecclesiæ alios vel in hæresin, vel ipsum Ethnicismum esse lapsos. Pauci ex Magnatibus, & sapientibus hujus mundi intelligunt, vel curant, orthodoxam religionem, nec penetrant in mysteria Papismi, unde mirum non est, illecebris mundi invitanti- bus, à nobis exire, quorum nunquam fuerant. Ad 10. Resp. Tert 44. de præscr. *Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis!* Confer. lib. 3. contr. Marc. c. 3. & Orig. l. 2. advers. Cels. *Non sunt, ait, probanda miracula prius, quam discernantur, à quo rectè parentur, aut secus: nec vel omnia damnemus, vel omnia miremur, tanquam divina:* Unde ergo probemus? Ex SS. literis, respondet, an earum doctrinas confirmant? Ad 11. Vera Ecclesia Catholica vi promissionum Christi nunquam excidet; credimus enim semper Ecclesiam esse & fore, excidere tamen possunt membra etiam illustria Catholice Ecclesiæ, nempe particulares cætus, ut erat Romanus. Ad 12. Multa millia Evangelicorum à Pontificiis trucidatorum suo sanguine nostram doctrinam obsignarunt: eam puto ipsam doctrinam, quam olim ipsi etiam Apostoli, Apostolici viri, Episcopi, totæque Ecclesiæ sub Ethnicorum & hæreticorum persecutionibus, pridem contestati erant. Si qui autem ob Pontificia, qua talia, dogmata vitam profuderunt, eos pro martiribus non habemus, ut nec Arianos, Donatistas,

Montanistas habemus; quia causa, non mors,

*Coll. diss. A 7. misc 3* facit martyrem.

F I N I S.